

## Liber II.

51

131. *De Libris Symbolicis ad Attalum.*

Quid de symbolicis tu sentis, Attale, Libris?  
Dogmata, quæ quondam credideramus, habent

132. *Musa in mortem  
Serenissimi Ducis Mutinensis  
HERCULIS. \*)*

*Herculem* iniqua senem jam jam mors denique vicit.  
Vincere nec juvenem, nec fuit ausa Virum.  
Est Pater hic patriæ, sic de Hercule sæpe canebam.  
Carmine nunc tristi dicere cogor: Erat.  
Ora natant lacrymis: has, Musa, abstergere debes;  
Cum Socer in Genero vivere pergat adhuc.  
Dux quoque defunctus pretiosa in imagine vivit:  
Filia \*\*) viva sui cum sit imago Patris.

133. *De Julio Cæsare.*

Hunc satyra est ausus mordere poëta Catullus;  
Quamque dedit poenam, Cæsare digna fuit,  
Cæsar inauditam vindictam sumpserat: ecquam?  
Authorem cœnæ iussit adesse suæ.

134. *Ad Ludovicum aureum. (Louisd'or)*

Auree rex, hodie tu Rege potentior omni es.  
Quos Regum nullus, tu superare vales.

---

\*) Obiit 14bris 1803 Tarvisii (Treviso) in Italia  
anno ætatis 76.

\*\*) Regia Celsitudo M. Beatrix.